Geneſ. 14. *Suſceptio mercedis triumphum minuit.* D.Ambroſ.

Levo manum meam ad Dominum Deum , quod à filo ſubtegminis uſque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus quæ tua ſunt. Geneſ. 14. num. 21. D.Ambroſ. lib. 1. de Abraham ait : *De præda victoriæ nihil voluit contingere , nec oblatum ſumere ; minuit enim fructum triumphi mercedis ſuſceptio , & beneficii accepti arrodit gratiam.* Plurimum enim refert : utrum pecuniæ , aut ſpe gloriæ movearis, alter mercenarij loco ducitur , alter dignus habetur conſervatoris gloriæ.

QUÆSTIO X.

Quare cum Divus Petrus dixiſſet claudo, reſpice in nos , ſcilicet ipſum Petrum , & Ioannem, tamen ſolus Petrus miraculum operatur, & ait ſurge, & ambula ?

53\. *Difficultas quæſtionis.*

CUm Petrus , & Joannes vellent intrare in Templum , dixit Divus Petrus claudo : *Reſpice in nos* ; quia virtus ad ipſum ſanandum à Petro , & Joanne exibat, Joanneſque erat cooperator miraculi, ut ſupra dixi quæſtione 6. tamen cum venitur ad operationem miraculi , ſolus Petrus loquitur , & imperat : *ſurge , & ambula* , & ipſe ſolus extendens manum. *Apprehenſa dextera elevavit eum.*

54\. *Petrus declarat Joannem cooperatorem miraculi.*

Reſpondeo quod licet Divus Petrus dixerit claudo : *Surge , & ambula*, tamen prius ei dixit *reſpice in nos*, in ipſum , & Ioannem , ut auctores miraculi : poſteaque cum de ipſo miraculo omnes admirarentur, dixit Petrus infrà, numero decimo ſecundo : *Viri Iſraelitæ quid miramini , aut nos quid intuemini , quaſi noſtra virtute , aut poteſtate fecerimus hunc ambulare ?* Ac proinde non ſolum ſibi, ſed & Ioanni adſcribit , & utrique populus adſcribit eoſque ambos agnoſcit miraculi operatores, & ideo; ut dicitur in fra n. 11. *Cum teneret autem Petrum , & Ioannem , cucurrit omnis populus ad eos.*

55\. Quod autem Petrus dixerit claudo : *ſurge , & ambula* , ſic frequenter quamvis in Sacris Apoſtolis eſſet ſuprema , & altiſſima virtus ac poteſtas ad multa mirabilia operanda : tamen pro omnibus eis ſemper Petrus loquitur non ſolum in terra , ut patet ex toto Evangelio, & ex hoc libro Actorum, ſed etiam in ipſa Cæleſti patria : Vidit Ioannes capite quinto, numero quinto in ſua Apocalypſi in manu ſedentis in throno , in cujus circuitu erant viginti quatuor ſeniores , in quibus deſignabantur duodecim antiqui Patriarchæ , & duodecim Apoſtoli , ut ibi cum communiori ſententia dixi ; In manu ſedentis erat liber ſignatus ſigillis ſeptem , ipſeque Ioannes flebat multum , quia nemo poterat aperire librum : *Tunc unus de ſenioribus* (qui, ut vult Lyranus, erat Divus Petrus) dixit mihi ne fleveris : Ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix David , aperire librum, & ſolvere ſeptem ſignacula.

Petrus prima vox eſt in terra , & in cælo. Apoc. 5. Lyran.

56\. *Petrus fundamentum utriuſque Eccleſiæ.*

Ecce ſicut Petrus eſt prima vox , & pro omnibus loquitur in terra, ſic & in Cœlo eſt prima vox, & pro omnibus loquitur ; Nam ſicut ipſe eſt fundamentum, Eccleſiæ militantis, ſic eſt primum fundamentum Eccleſiæ Triumphantis in Cœlo. Apocalyſ. 21. n. 19. de Sancta Civitate dicitur primum *fundamentum Iaſpis* , qui eſt Divus Petrus , ut late explicavi tomo ſecundo in Apocalypſ. citato capite 21. quæſtione 24.

QUÆSTIO XI.

Quare primum miraculum, quod legitur factum ab Apoſtolis eſt invocato ſanctiſſimo IESV nomine ?

57\.

AIt Divus Petrus in præſenti : *In nomine IESV Chriſti Nazareni , ſurge , & ambula.* De quo Sacratiſſimo nomine multa in multis jam dixi locis. Additur *Nazaræi* , id eſt habentis originem ex oppidulo Nazareth , & Iudæi per contemptum dicebant Nazaræum , juxta illud Ioannis 1. numero 46. *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe ?* Vnde titulus in Cruce præfixus habebat. *IESVS Nazaræus Rex Iudæorum.* Hanc Chiſti humilitatem ſic Deus Pater exaltavit , ut ſub nomine Nazaræi tot, & tanta mirabilia fierent , quod alta providentia indicat nomen ipſum ; *Nazaræus* enim ex Hebræo , idem eſt , ac floridus , in Chriſto Domino omnia Cœleſtia dona floruerunt in toto mundo , ipſeque per reſurrectionem ſuam totus floridus factus eſt, juxta illud Pſalmi 27. n. 7. *Refloruit caro mea.*

Joan. 1. *Chriſti humilitatem Deus Pater exaltavit.* Pſal. 27.

58\. Quæſtio præſens eſt, Poſt Chriſti Reſurrectionem, ac Aſcenſionem Sacri Apoſtoli miſſi ſunt ab eo ad prædicandum Evangelium in toto mundo cum plenaria poteſtate edendi miracula : Poſt hanc commiſſionem factam hoc fuit primum miraculum patratum ab Apoſtolis , ac D. Petro , & in hoc legimus expreſſe invocatum nomen Iesu, quod in multis aliis non legimus, ut in reſuſcitata Tabitha Act. 9. numer. 40. & in multis aliis , quos D. Petrus umbra ſua ſanabat ; Cur ergo inſigniter in hoc invocatur nomen Iesu.

Difficultas quæſtionis. Actor. 9.

59\. Reſpondeo hoc fuiſſe primum miraculum factum ab Apoſtolis ; ideo in eo expreſsè invocatur nomen Iesu , ut denotaretur , quod inde omnia miracula facienda ſub virtute , ac invocatione hujus ſanctiſſimi nominis fiebant , juxta illud Chriſti D. Marc. 16. num. 17. *Signa autem eos , qui crediderint , hæc ſequentur : In nomine meo Dæmonia ejicient : linguis loquentur novis ; ſerpentes tollent , etſi mortiferum quid biberint , non eis nocebit : ſuper ægros manus imponent , & bene habebunt.*

Omnia miracula facta invocato nomine JESV. Marc. 16.

60\. Cùm in nuptiis Cana Galilææ adeſſet Chriſtus , ac ſanctiſſima Mater ejus Maria , cum diſcipulis , jamque vinum non eſſet in vaſis , dixit Sacratiſſima Deipara ad filium ſuum : *Vinum non habent.* Cujus interventu Iesus convertit aquam in vinum , & ſubdit Evangeliſta Ioannes 2. num. 11. *Hoc fecit initium ſignorum IESVS in Cana Galilææ.* Richardus de S. Laurentio lib. 7. *fecit JESVS , cujus perpetua prece , omnia nobis futura proveniunt.* Non caſu , ſed alta Dei providentia ordinatum , quod cum Iesus ſuum primum miraculum erat facturus , ibi adeſſet Virgo Sacratiſſima, ut ejus interventione fieret , ac ut exinde ſecutura mirabilia , ejus precibus , ac rogationibus , quibus ſemper eſt exorans pro nobis fieri agnoſceremus : *Cujus prece perpetua omnia nobis futura provenirent.*

Richard. à S. Laurentio. *Omnia miracula ex Virginis interceſſione.*

61\. Primum verbum Geneſ. cap. 1. n. 1. *In principio creavit Deus* ex Hebræo legitur : *In principio creavit Dii*, ſeu juxta alios *Creavit judices.* Quomodo Moïſes contra leges Grammaticæ nomē pluralis numeri copulavit cum verbo ſingularis numeri? Moyſes Divino Spititu ductus ſtatim in prima fronte Scripturæ nobis proponit Sacroſanctū Trinitatis Myſteriū , in plurali multitudinem Perſonarū, in ſingulari unitatē Divinæ eſſentiæ in tribus Divinis Perſonis , quod

Geneſ. 1.

Liran. Burg.

poſt Lyranum notavit Paulus Burgenſis Archiepiſcopus, & ſic ait : *quia opera Trinitatis ad extra indiviſa ſunt , idcirco Moyſes ad inſinuandum omnes tres Divinas Perſonas Patrem , & Filium , & Spiritum Sanctum ſimul ad mundi creationem concurriſſe , Elohin in plurali dixit , ſive El , id eſt Deus unus.* Ex divino afflatu , primum Verbum totius ſcripturæ altum Trinitatis myſterium nobis proponit , ad inſinuandum, quod ipſa Trinitas totius Scripturæ eſt auctor , inſpirator, ac illuminator, & quod ad ipſam tanquam ſuum primum auctorem omnia illius referenda.

Sancta Trinitas auctor totius Scripturæ.

QUÆSTIO XII.

Expenditur ſumma D. Petri paupertas, illiuſque eximia charitas ?

62\. Oecum.

PEtenti claudo ait D. Petrus : *Argentum , & aurum non eſt mihi.* Ad quæ verba ſic ait Oecumenius : *Hoc ipſorum omnimodam auri inopiam demonſtrat , nec enim , quemadmodum nos frequenter dicimus hoc loco , aut illo tempore , non habeo , ſed non eſt mihi , ſignificans omnino ſe non poſſidere aurum.* Ipſo loquendi modo indicat Apoſtolus ſummam ejus paupertatem , quod non habebat aurum , nec unde illi poſſet ſubvenire , nec eſt mihi , unde ex aliqua parte veniat.

Summa D. Petri paupertas.

63\. Apoſtolus ait : *Argentum , & aurum non eſt mihi , quod autem habeo , hoc tibi do , ſurge , & ambula.* Si tantam poteſtatem , ac donum habet , ut det ſanitatem , cur etiam non habet aliquid auri ? bonus diſcipulus , quia illud non accepit à Magiſtro ſuo Jesu. D. Ambroſius libro ſeptimo in Lucam ſic ait in nomine Petri : *Itaque non habeo , quod non dedit IESVS, ſed quod dedit habeo : In nomine IESV , ſurge , & ambula.* Bonus miniſter, ultra id, quod ei dedit Dominus, nihil aliud habet : Conſidera , quod Petrus quod habet, ſpontaneè elargitur , at vero ex auro , & argento ex eo negat talem eleemoſynam dare , quia nec aurum , nec argentum habet ! O Cœleſtis nobis eruditio , profeſſus eſt auro , & argento carere , quando inopi miſero , nec aurum , nec argentum impertiebatur , piaculum namque eſt ratus Eccleſiaſticum aurum , & argentum habere, & roganti miſero , vel fameſcenti non elargiri.

D.Ambroſ. *Caveat Eccleſiaſticus ne retineat pecuniam urgente fame.*

64\. Cum multitudo magna quinque mille hominum ſequeretur Iesum in deſerto , jamque eſſet valde fameſcens , agens Dominus de eis ſubveniendis : *Dixit Andreas Apoſtolus : Eſt puer unus hic habens quinque panes , & duos piſces* , qui juxta communem ſententiam erant, ut ſuo loco dixi ex Apoſtolis : *Accepit IESVS panes, diſtribuit diſcumbentibus , ſimiliter , & ex piſcibus quantum volebant.* Joann. 6. numero undecimo Chriſtus Dominus ſua divina potentia illos panes , ac piſces multiplicavit in ſuis manibus ; ſed cur potius eos non creavit , cum ſit opus ſolius Divinæ Omnipotentiæ , magis inſerviebat ad oſtentationem miraculi ; ſed ex panibus Apoſtolicis, ac Eccleſiaſticis multiplicat , ac diſtribuit in magnum documentum noſtrum , quod fameſcente populo , ac penuria laborante , panis Eccleſiaſticus non ſit recondendus , ſed diſtribuendus per pauperes , ac miſeros. Euthymius capite decimo-quarto Divi Matthæi ait : *Iuſſit panes , ac piſces afferri docens quod illa pauca etiam oporteat præbere indigentibus , eoſque cibis ipſis præponere.*

Joan. 6. *Panis Eccleſiaſticus dividendus in fameſcentes.*

Actor. 3. *num.* 7. Et apprehenſa manu ejus dextera allevavit eum , & protinus conſolidatæ ſunt baſes ejus, & plantæ.

N. 8. Et exiliens ſtetit, & ambulavit, & intravit cum illis in templum, ambulans, & exiliens, & laudans Deum.

VERSIONES.

Syriacus n. 7. Et erexit eum, & eadem hora confirmati ſunt pedes ejus.

Arabicus. Et muſculi adjacentes calcanei ejus.

Pagninus. Plantæ illius, ac tali. *D. Chryſoſt* ſuſcitavit eum.

Æthiopicus. Confirmatus eſt pedibus ejus ; & lumbis ejus.

Syriacus num. 8. Surrexit, & ambulavit, &c. & ſaliens, glorificans Deum.

Æthyopicus. Et abiit cum eis capiens piſces.

EXPOSITIO V.

65\. Hugo.

Verſ. 7. *ET apprehenſa manu ejus dextera :* Hugo ait : *Voce elevavit , manu confirmavit. Protinus* ; id eſt in eodem inſtanti , ac momento, ut videatur ſanitas divinitus data, & non ope naturæ , mediis diſpoſitionibus comparata. *Solidatæ ſunt baſes ejus*, crura, & tibiæ, quibus tota corporis moles fulcitur , ac ſuſtentatur , *& plantæ* , nempe pedes , ait integra ſanitas data eſt infra num. 16.

66\. Iſai. 35. D. Cyril.

Verſ. 8. *Et exiliens* : Hic adimpletum eſt , quod dictum fuerat per Iſaïam 35. numero ſexto , *Tunc ſaliet , ſicut cervus claudus* ; ut notavit Divus Cyrillus Catech. 17. *Exiliens* , prius exilit , deinde *ambulat* , & iterum exilit , id eſt præ gaudio , & lætitia , modo exiliebat , modo ambulabat , ut ita vera , ac perfecta ſanitas , & non fictitia , ac momentanea oſtenderetur , ut notant Divus Chryſoſtomus ac Oecumenius, & magnum miraculū fuit , quod homo ab utero claudus , qui nunquam ambulaverat, ſtatim ſciat expeditè ambulare, & ſaltare; qui enim diu eſt incarceratus ex longa diſſuetudine ambulandi , expedite incedere nequit. Id autem , quod Æthyopicus addit : *Abiit cum eis piſces capiens* ; quia forte claudus iſte exercuit artem piſcatoriam , quam olim tenuerant Apoſtoli.

D. Chryſ. Oecum. Æthiop.

QUÆSTIO XIII.

Quare poſtquam Divus Petrus dixit claudo ſurge , & ambula , apprehenſa manu elevat eum ?

67\.

MAnu apprehendere, ac tangere ſignum magnæ benignitatis , ac clementiæ eſt. Sic Chriſtus Dominus puellam à ſe ſuſcitatam manu tenuit. Matthæi 8. numero 22. Petrum naufragantem manu extenſa apprehendit Matth. 14. num. 38. *Oculos cæci* tetigit. Ioan. 9. num. 6. ſic & ſocrum Petri febricitantem. Matth. 8. numer. 15. auriculas , & linguam ſurdi , & muti. Marc. 8. num. 33. & aliis in locis ſimilia. Ex his

Matt. 8. Marc. 14. Joan. 9. Math. 8. Marc. 8.

Primo reſpōdeo ad quæſtionē: Petrus imitatus, & ſecutus eſt ſui ſāctiſſimi Magiſtri morē, ut apprehenſa

manu ſanaret, ac miracula operaretur, ut in præſenti cum hoc Claudo, & Thabitha. Actor. 9. 40. Secundo ſic divinâ providentiâ diſpoſitum eſt ad evidentem Apoſtolorum virtutem, nam ſi Petrus voce tantum dixiſſet: *Surge, & ambula*, poterant aliqui maligni dubitare à quo factum fuiſſet, an interveniente hoc ſigno externo, ac manu apprehenſa, à nemine in dubium poterat revocari ex gratia Apoſtolorum tam mirabile opus emanaſſe. Cum incredulis, ac inimicis cautè agendum.

Cum incredulis ac inimicis cautè agendum.

69. Tertiò Chriſtus D. altiſſima ſcientia prævidit futurum, ut Petrus ſua dextera apprehenſa claudum à tanta miſeria ſublevaret, ac ſanum redderet; inde Petrum naufragantem manu porrecta à tempeſtuoſo mari liberat. Matth. 14. ſolet Divina bonitas anticipato beneficio remunerare obſequia ſibi præſtita: Fugiens Jonas à facie Domini in Tharſis exorta tempeſtate, à nautis in mare præcipitatur: Præparavit Dominus piſcem grandem, ut deglutiret Jonam, & erat Ionas in ventre piſcis tribus diebus, & tribus noctibus. Ionas 2. 1. Theophylactus: Vivus ſervatur ad aliorum vitam, tam mirabiliter vivum Ionam Deus liberat à morte, quia ipſe ſua prædicatione multos erat liberaturus à morte peccati adducens eos in vitam.

Chriſtus ſua obſequia anticipatè remunerat. Ioan. 2. Theoph.

70. Quartò D. Petrus priùs dixit claudo: *Surge, & ambula*, deinde *apprehenſa manu elevavit eum*. Verbis opera adjungit, & miraculum perficit, Petrus ore miraculoſæ ſanitatis auſpicium præbet, manu, & opere ſanitatem confert, & miraculum conſummat, ac perficit. Ad hoc tendit D. Baſilius Seleucus orat. 21. & ait: *O claude prædica pedibus, quæ nos lingua ſine adſenſu prædicamus*, ac ſi dicat Apoſtolus, quod nos lingua prædicavimus, tu pedibus, ac greſſibus oſtende.

Verbis opera adjungenda.

71. Tres ſancti illi pueri ſtantes in conſpectu regis generoſo, ac conſtanti animo dixerunt: *Deus noſter, quem colimus, poteſt nos eripere de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, Rex liberare.* Tunc *Nabuchodonoſor repletus eſt furore*, & miſſi ſunt pueri in fornacem ignis ardentis, in medio cujus pueri apparēt illæſi abſque ulla macula laudantes Deum. Tunc Nabuchonoſor ad oſtium fornacis ignis ardentis ait: *Sidrach, Miſach, Abdenago ſervi Dei excelſi egredimini.* Daniel. 3. numer. 93. Antea auditis verbis Sanctorum, Rex plenus erat furore in eos excandeſcens: Unde nunc verò tam benignus, ac benevolus, ut non ſolum eos jubeat exire, ſed etiam glorioſè conſtituat Principes ſuper Provincias Babyloniæ: Unde tanta mutatio: Antea ſolum verbis Dei potentiam prædicabant, nunc verò miraculoſis operibus oſtendunt. Eleganter D. Chryſoſt. homil. 6. ad Populum ſic ait: *Antea quando dixerunt Diis tuis non ſerviemus, fornace ſævius accenſus eſt; poſtquam verò per ipſa opera hoc oſtenderunt, laudavit, & admiratus eſt.* Nuda verba nihil proficiunt, at adjuncta opera totum perficiunt, & ſummam Dei potentiam declarant. De quo etiam aliqua dicam infra.

Dan. 3. *Verba juncta operibus animos devinciunt.*

QUÆSTIO XIV.

Quare in hoc claudo tanta Dei dona reſplenduerunt?

72. D. Ambr. Beda.

QUamquam allegoricè poſt D. Ambroſium Beda in hoc claudo intelligat populum Iſraeliticum, qui non ſolum à Chriſti Incarnatione, ſed etiā à tempore, ac exordio legis rebellis quaſi ex utero matris claudus fuit: *Cum Iacob cum Angelo luctante, & claudicante* Geneſ. 32. num. 14. *figurabatur, quia populus Chriſto in Paſſione prævalens, in quibuſdam per fidem benedictus, in aliis ex infidelitate eſt claudus.* Iſte ut claudus Iudæos, ac hæreticos denotabat claudicantes à fide, ut verò ſanus Iudæos, ac hæreticos, ut verè ſanatos, ac converſos ad fidem virtute nominis IESU innuebat.

Iud. & hæretici adumbrantur.

73. D. Baſil Seleucus.

Multa dona ex Dei gratia accepit; & quia, ut notat D. Baſilius Seleucus orat. 21. cum corporis ſanitate ſanitatem animæ cum vera fide impetravit, inde, ut advertit D. Chryſoſt. homil. 8. in Acta, *Laudabat Deum, ut ora aſtantium obturaret, & ſuos quidem benefactores gratus comitatur, non tamen illos, ſed Deum, qui per illos benefecerat.* Exiliens, laudans, ac ambulans ora detrahentium, ac calumniatium obturat, & non Apoſtolos, ſed Deum laudabat, ut Auctorem ſuæ ſalutis, qui Apoſtolis tantam dederat virtutem, à quo velut à fonte tota ipſa virtus manabat, & laudabat Deum verbo, opere; verbo dum ejus magnalia publicabat, opere miraculoſa ambulatione, & ſaltibus.

D. Chryſ. *Deus laudatur verbo, & opere.*

74. D. Niſſen.

Secundo D. Niſſenus orat. de S. Stephano ſic ait: *Is, qui à nativitate claudus fuerat ſpecioſam portam templi reverſus, iis, qui ſalvi fierent à pœnitentia, cui aſſidens ſua ſanationis miraculo, animas claudicantes ad fidem adduxerat.* Cum fide conjungit eximiam charitatem, qua ſocios ſuos ad portam ſpecioſam docebat, & inſtruebat de ſuæ ſanitatis miraculo, ut ſi ſalvi fieri vellent, ad Apoſtolos aſcenderent, ejuſque doctrinam percipientes, qua ſalutem conſequerentur.

Charitas vult omnes donorum participes.

75. Hugo.

Tertiò Hugo: Perfectus ordo ſurgit à miſeria, viam virtutum arripit, & templum ſanctum Dei intrat, non vadit in domum ſuam, ut fecit ſanatus paraliticus Luc. 5. num. 25. vel ad ſuos cognatos, & amicos, ſed cum Apoſtolis intrat in templum gratias Deo agens, D. Chryſoſt. homil. 8. in Acta ait: *Et qui ſanatus eſt, deinde cum Apoſtolis, & ingreſſus eſt cum illis, ambulans in templo. Vide quomodo non ſolus erat.* Cum homo vidiſſet in Apoſtolis tantam poteſtatem, virtutem, ab eiſque tantum beneficium accepiſſet, ut eorum dona recognoſceret, ac gratificans ab illis non diſcedebat.

Luc. 5. D. Chryſ. *Gratus vult eſſe cum ſuo benefactore.*

76. Cant. 2.

Clamat D. Sponſus ad ſuam dilectam: *Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni, columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Cantic. 2. n. 14. Cur non invitatur ipſa Divina amatrix, ut habitet in amæno horto, florido campo, ſeu vinea odorifera, ſed in foraminibus, illius nempe cæleſtis petræ Chriſti Jeſu, in cujus vulneribus, ac percuſſionibus, fontes gratiæ invenit, & remedium redemptionis, & munimen ſalutis, ideo ibi immorari vult, habitaculum conſtituit, ut ab eo nunquam ſeparari valeat. Beda ex Caſſiodoro, & ait: *In foraminibus, columba, id eſt, Eccleſia moratur, quia totam ſpem ſuæ ſalutis, in paſſione ſui Redemptoris conſtituit, & ibi ab inſidiis malignorum ſpirituum ſecum delitеſcit, ibi nidificat, & fœtus bonorum operum congerit.*

Caſſiod. Beda. *Eccleſia cum vulneribus Chriſti.*

77. Quartò: Aliud magnum bonum habuit claudus, quia per quadraginta annos, quos habebat ætatis, ab introeuntibus in templum ſemper mendicare, & ſemper petere abivit; Vbi tamen à Petro ſuum donum accepit, nunquam aliquid ab alio petivit, ut notat D. Baſilius Magnus homil. 15. de fide dicens: *Cum ex multis aurum acciperet, nihilominus rogabat. Ex Petro gratiam cum ſuſcepiſſet, rogare amplius deſtitit, veluti cervus proſiliens, & laudans Deum.* Cum claudus ab aliis acciperet, quotidie erat poſtulans neceſſitate oppreſſus: at ubi ex Chriſti nomine accepit à Petro, non jam poſtulat amplius, cum jam ab omni calamitate, ac indigentia abſolutus maneat, integra ſanitate à Deo data, quæ omnium rerum abundantiam ſecum importat.

D. Baſil. Magnus. *Dona Dei ampliſſima.*

Dilectrix

78. Dilectrix anima ait ad ſuum divinum Sponſum. *Emiſſiones tuæ Paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus*, Cantic. 4. n. 13. Ejus divinæ manus, ac cœleſtia dona, non cum una, vel altera arbore, nec cum decem, vel viginti, ſed cum toto Paradiſo, cum omni genere arborum, florum, ac germinum. D. Bruno de laudibus Eccleſiæ cap. 1. ait: *Magna tunc munera tua; alij partem mittunt, & quod eis eſt vile tribuunt; Tu vero totum hortum das, & omnia meliora tuis filiis larga manu mandas.* Cæteri cum ad dandum conveniunt, partem, vel fragmen dant: At verò Deus cum largitur utraque manu plena univerſa ſuperabundanter præbet: Multum ampla Dei dona in omnibus meis libris; Vide in Sybillario donum.

Cant. 4. *Dei dona abundant.* D. Brun.

Actor. 3. *n.* 9. Et vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem Deum.

Num. 10. Cognoſcebāt autē illum, quod ipſe erat, qui ad eleemoſynā ſedebat ad ſpecioſam portā templi: & impleti ſunt ſtupore, & extaſi in eo, quod contigerat illi.

Num. 11. Cum teneret autem Petrum, & Joannem, cucurrit omnis populus ad eos ad porticum, quæ appellatur Salomonis, ſtupentes.

VERSIONES.

Syrus n. 9. Cum ambularet; & glorificaret Deum.

Syrus n. 10. Et cognoverunt, quod ille mendicans ſedens, &c. impleti admiratione, & extaſi.

Æthiopic. Obſtupuerunt, & admirati ſunt, propter quod factum fuerat ſignum ſuper eum.

Pagnin. Tiguri. Stuporem, & admirationem, *Lucifer.* Pavore.

Biblia Gothi. Stupore, & mentis conſterna- *apud Marian.* tione.

Arabic n. 11. Et dum Claudus ille ſanitati reſtitutus, &c. accurrit populus ſtupore attonitus.

D. Chryſoſt. Ad veſtibulum Salomonis obſtupeſcebat.

Alii Codices. Cum viderent, *Alii*, cū tenerent.

EXPOSITIO VI.

79. Verſ. 9. ET *vidit omnis populus*, qui tunc erat ad horam orationis nonam in Templo, in quod claudus ambulans, & exiliens introivit cum

80. Apoſtolis etiam Deo gratias agens.

Verſ. 10. *Cognoſcebant autem illum, quod ipſe erat.* Chryſoſt. *Recognoſcebant*, id eſt, optimè, & apprimè cognoſcebant eum; quia per ferè quadraginta annos ætatis ſuæ erat mendicans ad portam Templi. *Et impleti ſunt ſtupore.* Syriacus *admiratione*. Admiratio aliquando provenit ex gaudio, aliquando ex timore: Hæc poſterior fuit in præſenti in his, in quibus non erat fides, ut tenet Gloſſa Interlinealis, & ita multi apud Lucam cap. 5. n. 16. *Stupor*, ſeu *timor apprehendit omnes.* Caiet. ait: *Stupor magnitudinem admirationis ſignificat, extaſis effectum ejus, hoc eſt alienationem à ſe ipſo*: proindeque extaſis in præſenti, ut etiam tenet Montanus, dicit mentis alienationem; quia neſciebant quid dicerent, loquerenur, aut cogitarent; & ad hunc ſenſum pertinet id, quod legit Gothi. *Mentis conſternatione.* Subdit Textus in eo, quod contingat, id eſt propter id.

D. Chryſ. Syriac. Interlin. Montan.

Verſ. 11. *Cum teneret autem.* Rejicienda eſt lectio aliquorum, qui legunt cum tenerent, vel cum viderent, ſed retinenda eſt lectio noſtræ vulgatæ cum Syriaco, Græco, & Arabico, quæ habet in ſingulari *teneret*, ſcilicet Claudus. Cur autem tenuit Petrum, & Joannem dubitatur? Oecumenius ait, ex timore, ne ſi ab eis diſcederet, rurſus claudus fieret, maximè quia Petrus eum tangendo, & manu data eum elevavit, quæ ratio non placet, nec convenit homini tam feſtivè ſuam ſanitatem celebranti, & pro ea Deum laudanti. Secundo Caietanus: Tenuit, eos populo oſtendens ipſos fuiſſe ſui ſanatores, à quibus habuit ſalutem. Tertiò, & genuinè D. Chryſoſt. exiſtimat id factum fuiſſe ex vehementi amore, benevolentia, ac gratitudine, ut ſuis ſanatoribus ſemper aſſiſteret, eis obſequeretur, ab eis nunquam vellet ſeparari, atque etiam ut omni populo ſuos ſanatores oſtenderet.

81. Noſtra. Oecum. Caietan. D. Chryſoſt.

82. *Ad porticum quæ appellatur Salomonis.* Circa templum erant tria atria: Primum, in quo orabant Sacerdotes filii Aaronis. Secundum, in quo Judæi, In tertio Gentiles: Porticus autem Salomonis erat pars illa, & ſatis lata, quæ ex Chaldaïco templi incendio ſuperſtes permanſit, ut tradit Oecumenius; eratque in fine atrij Gentium, ut ex Joſepho tenet Villalpandus lib. 3. de Templo, cap. 9. & ibi erat Claudus.

Tria atria. Joſeph. Villalp.

Actor. 3. *n.* 12. Videns autem Petrus reſpondit ad populum: Viri Iſraëlitæ quid admiramini in hoc, quaſi noſtra virtute, aut poteſtate fecerimus hunc ambulare.

Num. 13. Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Patrum noſtrorum glorificavit Filium ſuū Ieſum, quem vos quidem tradidiſtis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti.

Num 14. Vos autem ſanctum, & juſtum negaſtis, & petiſtis virum homicidam vobis dari.

Num. 15 Auctorem verò vitæ interfeciſtis, quem Deus ſuſcitavit à mortuis, cujus nos teſtes ſumus.

VERSIONES.

Arab. n. 12. Affatus eſt ad populum, &c. Aut noſtra laudabili cōverſatione fecerimus.

D. Chryſoſt. Noſtra pietate effecerimus. *Pagnin.* religione.

Æthiopic. Quaſi juſtitia noſtra. *Alii ex Græco.* Noſtro imperio.

Syrus n. 13. Cum ipſi Pilatus juſtificans eſſet, eum ut abſolveret.

Alter Syrus. Cum ipſe æquum judicaret.

Æthiopic. Quem vos ſprevіſtis, &c. Nolentes ſervare eum.

Arabic. n. 14. Vt concederetur vobis.

Syrus n. 15. Et illum Principem vitarum, &c. quem ſuſcitavit à domo mortuorum.

EXPOSITIO VII.

Verſ. 12. V*Idens autem Petrus.* Concurſum, ac admirationem populi, reſpondens eorum tacitis interrogationibus: *Viri Iſraëlitæ*, tanquam eorum benevolentiam captans: *Quid miramini in hoc, aut quid nos intuemini*, de quo antecedenti 83.

 verſu